Cinerum Epistolam ac Evangelium, de conversione, de jejunio etc. populum praelegendum explicandumque assignat; demum pro omni die Evangelium huic tempori sacro accomodatum, praefigit, quod Pastores zelo animarum ducti, fidelibus congregatis explanare solent quotidie.

Demum Ecclesia nostra quotidie pro populo jejunante intercedendo ferme ea exprimit, quæ oratiuncula haec continet: *Praesta quesumus omnipotens Deus, ut familia Tua, quae se, affligendo carnem, ab alimentis abstinet, sectando justitiam, a culpa jejunet.*

Quis nostrum Fratres in Xto! vocem intentionemque tam solicitae Matris, quae nos suo lacte enutrivit et hucusque pane suo alit, non venerabitur? Quis exultando cum Apostolo gentium, non erumpet in vocem lætabundus: *Ecce nunc tempus acceptabile; ecce nunc dies salutis: nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum. Ut castigati et non mortificati; quasi tristes, semper autem gaudentes; sicut egentes, multos autem locupletantes: tanquam nihil habentes, et omnia possidentes* 2 Cor. VI? *In his ergo diebus exhibeamus nosmet ipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in jejuniis, in vigiliis, in charitate non ficta"?!*

Hanc vocem S. Matris Ecclesiæ ad Venerabilem Clerum emittentes, ac promptitudinem ad obsequia Illius supponentes, nihil aliud impræsentiarum Eidem commendandum esse censemus, quam ut tenorem Litterarum Praesidialium Nostrarum de 4 Feb. 1849 N. 53 in suo vigore persistentium, nec non Instructionem Nostram ex Octava Epiphaniæ 1864 sub N. p. 7. in Cur. I. ej. a. legendo, populum sibi commissum de peragendo salubriter hocce temporis spatio a Deo sibi in remedium animarum concesso tempestive et accurate instruat, in Domino ipsum obsecrando, quatenus Ipsemet in oratione et jejunio fervidus conformiter illis litteris fideles imprimis plebem laboribus subditelae exemtam, ad frequentanda divina etiam diebus ferialibus; ad decantandam et recolendam Passionem Domini Nostri Jesu Christi diebus Dom. ad extirpanda in dies vitia grassantia et exercendas eis contrarias virtutes excitet; insimul ad jejunium stricte servandum jam fine placandi misericordiam divinam, satisfaciendi justitiæ Ejus pro peccatis, avertendique mala præsentia et futura; jam fine comprimendi passiones, extirpandive consuetudines pravas, ac promerendi praemia, imprimis pacem externam et internam; benedictionem in pecoribus et domibus; sanitatem demum et post obitum mercedem congruam, inflammet, atque tali modo intra hos 40 dies, *veterem exuat, novumque induat hominem*, ac resurgendo e vitiorum, quibus irretitur, barathro, festa Resurrectionis Jesu Christi lætabundus celebrare valeat.

Nunc pro dolor implentur illa, quæ Doctor gentium in Epist. II. ad Timotheum C. III. prædixerat: *Hoc autem scito, quod novissimis diebus instabunt tempora periculosa: erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti; sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi et voluptatum amatores magis quam Dei: habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.*